



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ad annum Christi 1563

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 90118618**

§. 9. Oratores Cæsarei juncta cum Lunensi Comite opera agere jussi.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66653](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66653)

Sæcul XVI.  
A. C. 1563.

„sione quantocius Romam contendere  
„decevi, ut ad Sanctitatis vestræ pe-  
„des provolutus obsequii mei studium  
„rursus manifestum reddere, ac testari  
„valeam, quod nemo alius me magis  
„Sanctitati vestræ addictus nil intenta-  
„tum relinquam, ut benignam, quam  
„de me concepit, opinionem confer-  
„vare possim.

## §. IX.

*Oratores Cæsarei juncta cum Lunensi  
Comite opera agere jussi.*

Pallav. l. 22.  
c. 5. n. 12.  
§ 13.

Die vigesima septima ejusdem Mensis  
Augusti rursus aliæ Cæsaris literæ  
ad Synodum deferebantur, in quibus  
Ferdinandus suis Oratoribus significa-  
bat, quod reformationis decreta sibi  
transmissa cum tanto artificio essent  
confecta, ut Principibus ejusmodi re-  
formatio haud toleranda ostenderetur,  
eo fine, ut illam rejicerent, necnon in  
ipsum infamia recideret, atque Aula Ro-  
mana regeſta in alios culpa in antiqua  
dissolutione sua persisteret.

Postea ad particularia progressus  
ajebat: „multa continentur in hisce  
„articulis de Ordine Ecclesiastico, quæ  
„quidem mihi egregia videntur, ut ca-  
„men intelligerem, quo pacto ea in  
„usum deduci possent in Imperii locis,  
„optarem, ut illic adessent Episcopi  
„Ger-

Sæcul. XVI.  
A.C. 1563.

"Germaniæ, aut certe illorum Procu-  
 "ratores: nec mihi dubium est, illos,  
 "ubi certiores ea de re fierent, bono-  
 "rum Præfulum muneri non defuturos.  
 "Ceterum in vigesimo nono capite dici-  
 "tur, irritas, ac nullas reddi cunctas  
 "sanctiones, constitutionesque Princi-  
 "pum, quæ adversus Clericorum, & bo-  
 "norum Ecclesiasticorum immunitates  
 "pugnarent, hujusmodi autem decre-  
 "tum mihi, ac fortasse cunctis Principi-  
 "bus haud tolerandum videtur; nun-  
 "quam enim oppressi, sed semper de-  
 "fensam volui libertatem Ecclesiasticam:  
 "animadvertendum tamen, quod præ-  
 "ter leges communes, quodcunque Re-  
 "gnum suis propriis, & antiquissimis  
 "consuetudinibus regatur, præterquam  
 "quod etiam ex jure communi Eccle-  
 "siasticorum immunitati suæ distinctio-  
 "nes, ac limitationes insint: hinc puto,  
 "cunctos Principes in varias super eo  
 "Decreto difficultates offensuros, sicuti  
 "nonnullas in quodam Gallorum scripto  
 "jam perlegi: certum igitur responsum  
 "nunc reddere non possum de articulo  
 "tam amplo: si vero Præsides vellent  
 "adhuc progredi, & curare, ut decre-  
 "tum comprobetur, tunc mihi mei Orato-  
 "res ob oculos ponent prævalidas diffi-  
 "cultates, in quas impingeret in locis sub-  
 "jectis ejus acceptio, nedum executio,  
 "id-

Sæc. XVI.  
A.C. 1563.

"idque potissimum fieret ob subsidia, a  
"quibus ex vetustissima consuetudine  
"Ecclesiastici non erant immunes ob  
"communem incolumitatem, quoniam  
"ea bona cum hoc onere devenerant in  
"illorum manus, Apostolica Sede con-  
"sentiente, & comprobante, si tamen  
"neglectis hisce rationibus ad sancien-  
"dum, atque approbandum hujusmodi  
"Decretum procederetur, mei Orato-  
"res, communicato cum Hispanis, Gal-  
"lisque consilio, solemniter ritu declara-  
"bunt, quod sibi non liceat illi consti-  
"tutioni assentiri, cum ea detrimentum  
"afferret sacri Imperii juribus, ut proin-  
"adversus perturbationes omnes inde  
"proventuras reclamare cogantur.

## §. X.

*Reformationis articuli a Cæsare  
immutati.*

*Fallav. n. 14* Denique Imperator plura in ceteris  
articulis immutabat, quo tamen  
variationes menti sacræ Synodi admo-  
dum consonæ erant, aut jam antea factæ  
sunt, quippe Imperator in articulo ter-  
tio, ubi in templis interdicebatur mol-  
lior harmonia, optabat, ne cantus,  
quem figuratum appellant, excludere-  
tur, cum sæpe is ad pietatis sensum ex-  
citet: insuper in quarto, & in postremo,  
per quos vetabantur Principes violare  
precl.